



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

VIII. De oblatione Christi in cruce, & propria resignatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

& verè pœnituerit : quotiescunque pro venia & gratia ad me accesserit : Vivo ego , dicit Dominus , qui nolo mortem peccatoris , sed ut magis convertatur & vivat : quoniam peccatorum suorum non recordabor ampliùs , sed cuncta sibi indulta erunt.

C A P U T VIII.

De oblatione Christi in cruce , & propria resignatione.

VOX DILECTI.

1. **S**icut ego me ipsum expansis in cruce manibus ; & nudo corpore , pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli ; ita ut nihil in me remaneret , quin totum in sacrificium divinæ placationis transfiret !

Ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè in oblationem puram & sanctam , quotidie in Missa , cum omnibus viribus & affectibus tuis , quantò intimiùs vales , offerre.

Quid

Quid magis à te requiro, quàm ut te studeas mihi ex integro resignare?

Quidquid præter te ipsum das, nihil curo : quia non quæro datum tuum, sed te.

2. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me : ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato.

Offer te mihi, & da totum pro Deo, & erit accepta oblatio.

Ecce, ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum Corpus meum & Sanguinem in cibum, ut totus tuus essem, & tu meus permaneres.

Si autem in te ipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.

Igitur omnia opera tua præcedere debet spontanea tui ipsius in manibus Dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam.

Ideo enim tam pauci illuminati
&

& liberi intus efficiuntur, quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt.

Est firma sententia mea: Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus. Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer te ipsum mihi, cum affectionibus tuis.

C A P U T IX.

Quod nos & omnia nostra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare.

VOX DISCIPULI.

I. **D**omine, omnia tua sunt, quæ in cælo sunt, & quæ in terra.

Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuè permanere.

Domine, in simplicitate cordis mei offero me ipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium & in sacrificium laudis perpetuæ.

Suscipe